J. F. THEMISTOCLES, DUCUM ATHENIENSIUM CLARISSIMUS,

IN ACTU PUBLICO
GYMNASII MAGDALENÆI,
A. D. 26. Maji, Hor. à I. pomerid.
celebrandus,
dirigente
M. Johanne Fechnero.

VRATISLAVIÆ,
In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographiâ,
exprimebat JOH. CHRISTOPH. JACOBI.

Lecturis Salutem plurimam dico.

ILlustris ille & apprimè utilis Scriptor Valerius Maximus, qui virtutum vitiorumq; exempla è variis historiarum silvis succinctè congessit, congesta vitæ communis scenæ concinnè accommodavit, inter alia memorabilia recenset quoque seriem virorum illustrium, qui mores juventutis perperam exactæ in melius mutarunt & deletâ maculâ prioris infamiæ per egregia facinora ad summos gloriæ processerunt gradus. Horum in numero ponit etiam Themistoclem, Ducum Atheniensium clarissimum, de quo hæc prodit: Piget Themistoclis adolescentiam attingere, sive patrem adspicias, abdicationis inurentem notam, sive matrem suspendio finire vitam propter filii turpitudinem coactam, cum omnium postea Graji sangvinis virorum clarissimus extiterit. (lib. 6. c. 9.) Quamvis enim Justinus historiarum Trogi Pompeji epitomator percelebris tradat, Themistoclis adolescentis gloriam in pugnâ Marathoniâ, quâ ductu Miltiadis exigua civium Atticorum manus numerosissimas barbarorum copias profligavit, emicuisse, ut jam tum in eo futuræ imperatoriæ dignitatis indoles apparuerit: (lib. 2. c. 10.) tamen alii gravissimi, & veterum memoriarum exequentissimi auctores Maximo suum adjiciunt punctum adseruntq; eundem adolescentiam flagitiosè admodum traduxisse, & post Marathonium demum prælium, conspecto forte tropæo, quod Miltiadi populus Atheniensis in porticu, quæ pœcile dicta fuit, erexerat, sacro quasi thyrso

contactum

contactum permotumque ad meliorem vitæ frugem ſe recepiſſe. Itaque imago Ducis illuſtrisſimi eminentiori loco præſtituta tàm profundè animo adoleſcentis impresſa erat, ut ipſum intra reciprocos curarum æſtus fluctuantem dormire non pateretur. Hæc vigilanti, hæc ſomnianti ſubinde occurſabat, ut à veterno putris ignaviæ & deſidioſæ voluptatis excitatus & in ſemetipſum deſcendens, ſaniora de moribus corrigendis capeſſeret conſilia. Tunc relicto protinus ganeonum conſortio vitia adoleſcentiæ, ut Nepos, qui vitam ejus graphicè dedit deſcriptam, ait, magnis emendavit virtutibus, & ſummâ induſtriâ contumeliam exhæredationis extinxit famæq; inſerviens, totum ſe dedit reipublicæ. Sæpius in concionem civium prodibat, multùm in judiciis verſabatur, frequenter vadimonia obibat. His ſtudiis, his artibus, quæ in democratico regimine ad honores conſequendos plurimum valent, populi favorem ſibi facilè concinnavit juvenum callidisſimus, ac celeriter ad claritudinem viri excellentis emerſit.

O memorabile ad omnem poſteritatem exemplum, & monendis adoleſcentibus perquam congruum! Cum enim ex his non pauci ætatis juvenilis florem in deliciis conterendum putent, Themiſtocles reſipiſcens ob oculos animosq; eorum ſtatuendus eſt, ut exemplo hoc in loco tàm illuſtri poſito admoniti, & à ſomno inertiæ deliciarumq; expergefacti, optimam vitæ partem in pervigilio Minervæ & ſtudiis ſalutaribus exigant. Næ multi adoleſcentes bonis benè nati parentibus & probè caſtèq; domi educati, cum apud exteros incidunt in lurconum contubernium, mores

illorum corruptos facilè combibunt. Si verò iisdem crebras dehortationum machinas adhibueris, è sordido vitiorum volutabro extrahi lentisq; voluptatis vinculis tandem eximi possunt, ut bonæ mentis iter, quod dextrum litteræ Pythagoricæ cornu monstrat, seriò respicientes, per excellentium virorum vestigia ad laudem & gloriam procedant. Talium nempe animus, ut scitè loquitur laudatus suprà Valerius, peregrinatus est in nequitiâ, non habitavit. Nam cum indoles ipsorum proba cæno vitiorum profundo penitus non fuerit demersa, in lucem denuò & ex abjectâ conditione ad claritatem potuit emergere. Sed ut ad Themistoclem redeamus, constat ex fide historicâ, ipsum ad meliora vitæ civilis studia conversum brevi tempore fuisse illustratum. Cum enim esset ingenio ad res celeriter inveniendas promtissimo & ad gerendas expeditissimo, ac rationem status artesq; illas politicas quibus democratica respublica, qualis sanè erat Atheniensis, incolumis servatur, ad ungvem calleret, omnes cogitationes, actiones omnes, omnia deniq; consilia ad vires opesq; civitatis Atticæ firmandas pariter & augendas unicè atq; unicè dirigebat. Id ut effectum daret, autor extitit populo, ut reditus ex metallis largitionibus non necessariis antehac absumtos in classem navium numerosiorem instruendam impenderet. Ita suasu ejusdem ducentæ naves instructæ fuerunt, quibus ipse præfectus res magnas pro republicâ patria gessit, & fractis Corcyræis piratisq;, qui maria passim reddiderant infesta, oppressit, Athenienses operâ suâ adlaudabili rei nauticæ fecit peritissimos, ut jam opes illorum supra cæterarum Græ-

ciæ

ciæ civitatum vires erectæ viderentur. Quod postea in bello illo famosissimo, quo Xerxes omnibus regni Persici viribus contractis Græciam petebat, apparuit luculentissimè: Tunc enim incomparabilis Themistoclis prudentia potissimùm emicuit. Tantas Rex ille secum traxisse perhibetur copias, quantas quidem nullus ante eum sub signis habuisse credibile est. Ut paucula saltim de immenso isto apparatu delibem, advocabo ad partes Justinum, qui ex Herodoti Polymniâ hæc enotata refert: (lib. 2. c. 10.) Xerxes septingenta millia de regno armaverat, & trecenta millia de auxiliis: ut non immeritò proditum sit, flumina ab exercitu ejus siccata, Græciamq; omnem vix capere exercitum ejus potuisse. Quæ Aristides sophista insanùm extollit hisce verbis: Telis obtegebatur ipse sol, mare navibus, terra copiis pedestribus, aer sagittis redundabat. Ideo Juvenalis argutissimus hyperbolicam istam Græcorum nugantium exaggerationem meritò perstrinxit, cum ait: (Sat. 10.)

Creditur olim
Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax,
Audet in historiâ: constratum classibus æquor
Suppositumq; rotis solidum mare. Credimus altos
Defecisse amnes epotaq; flumina Medo.

Sed quid effecit barbarus tanto apparatu? Unius Themistoclis prudentia versutissima omnes istas molitiones dissipavit & in turpem fugam conjecit Regem insolentissimum, qui veluti naturæ Dominus montes in planum deduxerat, convexa vallium æqvaverat, freta pontibus straverat. Servata igitur tunc Græcia fuit non tam armis, quam

consilio Themistoclis cordatissimi, qui uti Nepos ex Thucidide refert, de instantibus verissimè judicabat, & de futuris callidissimè conjiciebat. Solus hic mentem oraculi Delphici, quod salvas fore Athenas dixerat, si ligneis defenderentur muris, dexterrimè interpretatus est, & navibus fata fortunasq; civitatis, quæ non in ædificiis & mœnibus saxeis consisterent, sed in civibus, committendas esse demonstravit. Solus porrò autor fuit classiariis, ut in freti angustiis impetum hostis, qui illic vires suas totas explicare eosque circumire non posset, infracto exciperent animo. Quod consilium felici non caruit successu: Astuto enim hoc strategemate, maximæ post hominum memoriam copiæ & bis mille, vel ut modestius Nepos, mille & ducentæ naves barbarorum à trecentis Græcorum profligatæ sunt & eversæ. Homines quidem multos, non viros, ut pellepidè ipse, teste Herodoto, dixit Thomistocles, adduxerat Xerxes, qui fædâ sibi consulens fugâ in regnum recessit, lembo vectus piscatorio tot ante navium Dominus. Exinde liquet oppidò, quantum in rebus benè gerendis consultrix valeat prudentia.

Quocirca in Actu publico, qui adornandus jam nobis est, libet exhibere Themistoclem spectandum monendæ, uti supra diximus, juventutis gratia, ut insigni ejus exemplo suscitata, se excusso inertiæ lethargo ad illa accingat studia, quibus olim patriam & rempublicam juvare queat & exornare. In proclivi est commendare Themistoclem commendatum à tot præcipui comnatis autoribus, quos inter Herodotus, Plutarchus, Justinus, præ-

præſertim verò Cor. Nepos Hiſtoricus verè probus, à quo nonnulli in eloquentiâ puriori inſtruendâ, ſecus quam Voſſius ὁ πάνυ præcipit, (Part. Orat. l. 4. c. 1. n. 62.) auſpicandum cenſent. Ductu ergò hujus ſcriptoris probatisſimi concinnavimus Drama quoddam, in quo adoleſcentes delecti fictis ſub perſonis de Græcia unâ ex parte oppugnandâ, ex alterâ propugnandâ cædent ſermones. Sic demonſtrabimus, quod diſcipulis noſtris ad colloquia latina & disſertationes de rebus minimè futilibus anſam præbeamus.

Vos autem, Viri Magni, Clari, Docti, Boni, ſtudiorum ſtudioſorumq; hominum Patroni ſuſpiciendi, Fautores honorandi, ſubmissè & officiosè rogamus, ut cras ſub horam in frontiſpicio indictam, ſi prolubium fuerit, aut graviora non prohibuerint negocia, Ludum noſtrum litterarium interviſere, & præſentiâ veſtrâ ſplendidâ & autoritate ſpectabili, quæ pictis tropæorum imaginibus efficacior, juventutem ad induſtriam in ſtudiis perſequendis excitare dignemini. Quod ſi acroamata, quibus laudes Themiſtoclis optimè cantentur, qualia ipſe quidem, Plutarcho teſte, audire amavit, non audiveritis: audietis tamen conſultationes fictas ſermonesq; amœbæos filo & ſtylo hiſtoricorum Latinorum efformatos. Ideò opellam hanc noſtram, approbaturos vos ſperamus, Deum Opt. Max. precati, ut vos incolumes clementisſimè conſervet. P. P. d. 25. Maji, A. C. 1667.

Pro-

Producentur,

1. *Pallas, vice Prologi, Vitus Ferdinandus à* Mudrach:

2. *Narratores, Partem priorem Historiæ de Themistocle, exposituri*

Latinè ex Cor. Nepote, — *Samuel* Kügler / *Carolus* Oehmb / *Joh. Christoph.* Meichsner. *Fridericus* Runge / *Joh. Georgius* Lindner / *Georgius* Memmiger: } *Vratisl.*

Germanicè ex interprete, — *Esaias* Sauer / *Georgius Fridricus* Hensel / *Samuel* Rinder / *Joh. Christoph.* Grundman / *Gregorius* Asman. *Joh. Christianus* Gerhard / } *Vratisl.*

3. *Recitatores, Apophthegmata Themistoclis potiora pronunciaturi, Latinè,*
Johan. Faustus Widerianus; Germanicè, Jacobus Fiedlar / *Joh. Antonius* Scheide / } *Vratisl.*

4. *Actores & Interlocutores dramatici,*

Themistocles, Casparus Neumannus Vratisl.
Callias, civis Atheniensis, Casparus Wincklerus Sprotta-Sil.
Xerxes, Rex Persarum, Johannes Reinholdus Baussius Hala-Saxo,
Mardonius, Dux Persarum, Johannes Ernestus Güßovius Dracomont.
Artabanus, Xerxis consiliarius, Georgius Christophorus Fischer / *Coblinio-Pol.*
Mnesiphilus, Demagogus Atheniensium, Christophorus Pricelius Dracomont.
Aristides, Hierophantes, Charippus } *Civium Atheniensium primores,* { *Christophorus Fribenius Landshutt-Sil. Daniel Walterus Vratisl. Christianus Herrmannus Namsla-Sil.*
Sostenes, Diocles, } *Legati ad Apollinem Delphicum* { *Andreas* Goldbach / *Vratisl. Daniel* Lindner / *Dracomont.*
Epidromus, explorator, Georgius Sigismundus Nagel / *Jaura-Sil.*
Achæmenes, Præfectus classi Persarum, Gottfrid à Tilisch /
Eurybiades, Rex Spartanorum, Johannes Kurtzmannus Vratisl.
Demaratus Spartanus apud Persas exulans, Gottfrid Steudnerus Gryphoring. Sil.
Calliope, Clio. } *Musæ* { *Maximilianus* Preuß / *Vratisl. Gottfried* Heydenreich / *Olsnen.*

Epinicion in laudem Themistoclis carmine amœbæo trochaico cantabunt & sic Actum claudent.